

11. *Quis dat?* R. Deus pater: ὁ λόγος, Spiritus sanctus, Trinitas, divina natura. Quæ omnia eodem tendunt, nec ulla in eis est contrarietas. Ratio est: quia incarnatio filii Dei est opus totius Trinitatis: & tamen in sola persona filii facta est unitio, in eadem igitur etiam sola fit communicatio.

12. Est igitur relatio inter patrem dantem, & filium accipientem; subintellige filium incarnatum, sive secundum & propter carnem, in personæ filii unitatem assumptam.

13. Neq; hic reciproca est communicatio. Nam assumptis est dare, non assumpti. Quare deitas non accipit dona ab humanitate, sed eam potius perficit.

14. *Cui datur?* Christo θεανθρώπων hoc est, personæ secundum vel propter carnem: vel Christo homini, sive qua homo est; vel etiam carni sive humanitati, nimirum in persona filii subsistenti.

15. Juxta regulam hanc totius piæ antiquitatis Arianis oppositam; *Quæcumq; scriptura dicit in tempore datâ esse Christo, illa de personâ Christi intelligenda sunt, non secundum deitatem, sed secundum assumptam humanitatem.*

16. Non autem seorsim, vel separatim extra personam Christi intelligenda est humana illa natura; quasi illi in sese dona illa infinita data sint; sed omnia illa dicuntur data personæ, nempe juxta & propter naturam
huma-